# SUCCI.

## SUCCI AD SCORBUTICOS.

R. Succi cochleariæ,
naſturtii aquatici,
aurantiorum Hiſpalenſium, ſingulorum libras binas.
Aquæ nucis moſchatæ ſpirituoſæ ſelibram.

Misce, et ſepone liquorem donec fæces ſubſederint, dein defæcatum effunde.

## SUCCUS SPISSATUS vulgo EXTRACTUM ACONITI.

Aconiti folia recentia contundantur, et ſacco cannabino incluſa prælo comprimantur valide, ut ſuccum præbeant; qui in vaſis repandis aquæ ferventis vapore calefactis illico exhaletur ad mellis craſſioris ſpiſſitudinem, ſub finem aſſidue agitans.

Eodem modo parantur

## SUCCI SPISSATI, ſive EXTRACTA

BELLADONNÆ.

FLAMMULÆ JOVIS.

HYOSCYAMI.

STRAMONII.

## SUCCUS SPISSATUS, vulgo EXTRACTUM FOLIORUM CICUTÆ.

CICUTÆ floreſcentis foliorum et caulium ſucco, ut aconiti expreſſo, et ad mellis liquidioris ſpiſſitudinem exhalato; jamque refrigerato, adde foliorum cicutæ exſiccatorum, et in pulverem tritorum, quantum ſufficiat, ut fiat maſſa pilulis formandis idonea. Curandum autem ut exhalatio eo tantum procedat, ut pulveris quinta circiter pars admiſceri poſſit.

## ROB SAMBUCI.

℞. Succi baccarum ſambuci maturarum libras quatuor,

Sacchari puriſſimi ſemilibram.

Decoquantur leni igne ad mellis craſſioris ſpiſſitudinem.